

(12) Illustri Viro  
 Carolo Linnaeo  
 Equiti aurato, Archiatro regio rel.  
 S. P. D.  
 Georgius Christianus Oeder.

Inspecto Tomo primo novae editionis Libri Tui Species Plantarum dicti, qui his primum diebus in manus meas pervenit, permoveor, ut quod in ultimis meis literis Te rogavi, denuo petam enixe, ne Icones Florae Danicae aliter quam sola commemoratione numeri tabulae cujuslibet, omissis nominibus, excitare velis.

Declaravi in Programmate edendi operis rationem et causas, cur sejunctas a descriptionibus s. sermone et textu, ut dicunt, edamus icones plantarum, et palam est inspicienti plagulas iconum fasciculo primo adjectas, scopum non fuisse alium nisi interim dum textus paratur exhibendi saltem Synonyma potissimorum auctorum, qui aut descriptione et characterum selectu, aut icone ad cognitionem uniuscujusque plantae adjuvarunt, ne incognitas plane reciperent emtores plantas. Synonyma inquam trado, quorum nullum palam pro meo nomine declaro sancitumve volo, qui quidem non est meus labor hoc certe loco, siquidem unquam erit. Synonyma haec ordine chronologico dispono, incipiendo ab inventore, finiendo in novissimo Tuo Pinace, omissis intermediis, qui momenti nihil ad plantae historiam attulerunt, excepto C. Bauhino, Synonymorum ad suum usque tempus collectore, neque possum mihi persuadere, quidquam rei interesse, sive temporis ordinem directum sive inversum sequaris, aut quidquam de meo adversus hos quos excito auctores animo in utramvis partem concludi posse, quasi potiore mihi loco ei sint quos primum nomino, aut minus Te tanquam principem in arte virum suspicium, quia ultimo in loco Systema Tuum, quippe novissimum librum cito.

Haec cum ita sint optassem, et fateor expectassem, ut citares fasciculum hunc primum sola commemoratione numerorum Tabulis inscriptorum, et cum Tua ubique nomina, ipsis